



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 49. Consilium de Inquisitionis tribunali Neapoli erigendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

ante sexennium inde eiectionem restituit, Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 expulso Nicolao Amstorfio, qui a Lu-
 thero inauguratus erat. Sub idem tem-
 pus Fridericus Brandenburgici Electoris
 filius, tanquam Coadjutor dabatur Mag-
 deburgico Archiepiscopo, qui anno su-
 periore cum Joanne Friderico Electore
 transegerat, eique totam ditionem su-
 am ringente licet Capitulo, cesserat.
 Porro ob victoriam a Carolo Cæsare re-
 portatam Romæ solemnes omnium or-
 dinum instructo agmine procedentium
 Deo gratiæ agebantur, ac præcipue
 Paulus III. summus Pontifex summa læ-
 titia affectus præter anni sacri solemnia
 antea ad hæresis extirpationem conces-
 sa, novum Jubilæum promulgari iussit,
 ut ob gloriosos, quos Cæsar de hæreti-
 cis retulit, triumphos debitæ Deo gra-
 tes rependerentur.

§. XLIX.

*Consilium de Inquisitionis tribunali
 Neapoli erigendo.*

Cum Imperator adhucdum Wittem-
 bergæ hæreret, a Petro Toletano
 Neapolis Prorege Nuntium accepit,
 quod in eadem urbe seditio esset mota
 occasione exinde quæsitâ, quod is ibi-
 dem Inquisitionem introducere molire-
 tur. Equidem jam a longo tempore
 Im-

Thou. hist.
 vers. fin. l. 2.
 Sarpi l. 3. p.
 253.
 Ant. de Vera
 hist. Caro. V.
 p. 267.

Sæcul. XVI Imperator a Paulo III. summo Pontifice fuerat sollicitatus, ut in hoc Regno ad sistendos hæresis progressus hoc tribunal erigeret; verum semper hucusque id exequi renuebat, tandem autem a Farnesio Pontificis Nepote tam vehementer urgebatur, ut ejus precibus cederet, datisque hanc in rem literis Proregi mandaret, quatenus in Neapolis Regnum unacum Reginaldo Farnesio præfatæ urbis Archiepiscopo Inquisitionem inueheret. Toletanus collatis cum eodem Archipræsule consiliis convenit, ut is quodam die festo Pontificis diploma de gravi Inquisitionem stabiliendi necessitate editum in Ecclesia promulgaret, quin tunc ad ulteriora procederetur, sed unice caperetur experimentum, an populus hanc rem æquo ferret animo. Ergo die tertia Aprilis, inquam Dominica Palmarum incidit, hora matutina Papæ Decretum promulgatur: cum autem populus sacræ hebdomadæ ritibus magis intentus diplomaticis seriem minus attente perpenderet, Prorex æque, ac Archiepiscopus rem tuto urgeri, atque hoc tribunal juxta consuetas leges erigi posse sibi persuadebant; quocirca Toletanus ad campanæ sonum Senatum Regium, atque sex Deputatos ex singulis quinque præcipuis Regni urbibus præter populi

Primo

Primores ad Ecclesiam Cathedralē ^{Sæcul. XVI.}
convocari iussit. ^{A.C. 1547.}

Itaque ipse hunc Conventum accedens hæc exposuit: „ Cæsaris æque, ac „ Pontificis voluntas est, ut sacri Officii tribunal, utpote ad avertendam „ hæresis pestem oppido necessarium „ erigeretur. „ Percepta hac propositione Senatus primo in secretas indignationes prorumpens hac super re deliberandum respondit: Altera vero die ad Proregem duodecim Deputatos ablegabat, qui eidem declararent, quod urbs hoc tribunal institui recusaret, cum præter hoc, quod nudum illius nomen horrorem instillaret, illud equidem in hæreticorum Provinciis, non autem in Regno, ubi sola Religio Catholica viget, utiliter erigi posset. Verum insuperhabitis hisce rationibus Prorex iuncta cum Archiepiscopo opera matutino tempore die quarta Maji edictum promulgari iussit, vi cuius sacræ Inquisitionis Curia deinceps in Archiepiscopali Palatio collocanda denuntiabatur. His peractis præfatum edictum in valvis Ecclesiæ Cathedralis fuit affixum.

§. L.

Seditio inde exorta.

Vix hoc edictum conspiciebatur affixum